

Apud
Civitatem,
18 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Beatae Mariae Montis Virginis cum omnibus bonis ejus sub sua speciali protectione recipit, omnia privilegia a praedecessoribus suis et a seipso indulta confirmans; jubetque ne occasione constitutionis Capuanae de feudis revocandis aliquis monasterium perturbare praesumat nec possessiones quas eidem monasterio vendiderit aut obtulerit revocari petat, nisi restituendo pretium cum melioratione beneficiorum.

(Inedit. in archiv. monast. Montis Virg., ex instrumento originali, vol. VIII, n° 69, in quo privilegium istud cum duobus aliis transcribitur et inseritur, secundo die mensis februarii anni 1232, VI indictionis.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, magistris justiciariis, justiciariis, comitibus, baronibus, magistris camerariis, castellanis, bajulis et universis presentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Cum nos, de solita pietatis nostre misericordia qua circa fideles nostros et specialiter circa monasteria et loca religiosa in quibus omnipotenti Deo et gloriose Virgini matri sue jugiter laudis cantica referuntur ac viros religiosos ad eorum servitia laudabiliter deputatos misericorditer consuevimus providere, monasterium Beate Marie Montis Virginis, abbatem, monachos et confratres suos jugiter famulantes ibidem cum hominibus, obedientiis, possessionibus et omnibus aliis bonis suis que per totum imperium et regnum nostrum Sicilie juste et rationabiliter possidere noscuntur, sub speciali protectione et defensione nostre recepimus majestatis et confirmavimus ei in perpetuum omnia privilegia a divis augustis quondam progenitoribus nostris memorie recolende sibi pia liberalitate concessa et nostra etiam post curiam Capue celebratam; universitati vestre sub optentu

gratie nostre mandamus firmiter injungentes quatenus nullus sit qui contra protectionem et defensionem nostram et tenorem privilegiorum dictorum de omnibus que in eisdem privilegiis continentur predictum monasterium, abbates, monachos et confratres suos cum hominibus, obedientiis et omnibus bonis suis indebite impedire seu molestare presumat. Et quia, sicut ex relatione venerabilis abbatis et monachorum ejusdem monasterii nostre innotuit majestati, quidam sunt qui occasione constitutionis nostre in curia Capue promulgate de feudis integraliter revocandis, que propter turbationem temporis retroacti adeo diminuta fuere quod servitia que ex eis curie nostre debentur eorum domini facere non poterant ut tenentur, in possessionibus et bonis ejusdem monasterii manus illicitas injicientes eas accipiunt pro sue arbitrio voluntatis, statuimus ut nullus de cetero ausus sit qui occasione constitutionis supradicte possessiones et bona ipsius monasterii presumat aliquatenus perturbare; sed si forte quis de possessionibus feudi sui quas eidem monasterio dicitur vendidisse vel pie similiter obtulisse ab obitu regis Guilielmi secundi predecessoris nostri memorie recolende, eas ad feudum suum petierit revocari, monasterium ipsum non presumat exinde aliquatenus dissaisire, nisi primo restituat pretium quod tempore venditionis et quando eas obtulit a jam dicto monasterio pro eis charitative seu titulo venditionis recepit cum melioratione beneficiorum, si qua in eis monasterium ipsum fecit ab eo tempore quo ipsas dignoscitur habuisse; et si qui forte hactenus hoc fecerunt, pretium similiter eidem monasterio restituendum injungimus ab eisdem. Quod si facere noluerunt, possessiones ipse ad jus et proprietatem ipsius monasterii revocentur quousque predictum pretium in integrum restituatur eidem.

Datum apud Civitatem (1), octavo decimo decembris, undecime indictionis.

(1) Licet hunc locum cl. vir Staelin interpretetur *Civita a mare* ad fauces Fortoris, non dubitamus quin hic agatur de urbe nunc diruta, *Civitate* dicta, ad dexteram Fortoris ripam, juxta Dragonaram inter Sanctum Paulum et Serram Capriolam, circa locum qui hodie nuncupatur *Ponte vel Passo di Civitate* (ap. Barcler d'Albe et vetustiores geographicas tabulas,